

141

Colloquium in Lutetiae burg. Berust 1585
Graeffius & Cyprianus quis in Reribus in Transversum ducunt
Antidotum auct. ap. non erit in hoc scilicet
Rouen dicunt abgeschwungena pugnac 1590.
in pugna rursum rufolimana.

Repetitio Sana Doctrinae Luth: de Perso
na Christi et Coena Domini Praeside Doct:
Jacobo Andreæ Wittenb. 1580.

M. Friderici Petri responso ad Scriptu Bremenian
Adversus Collectoris Epologia 1585.

Oratio Georgii Sophi. Doct. Heidelberg. quoniam studiofus
ad cognitionem veritatis peribent.

Datum diei Confessoris p. Johannem Coelern 1588
Jacobi Junck Wolfi i. mortulus primus 1582
Johannis Majoris P. parentatio Duci Electori
Augusto 1590.

Gernardi Alsfeldburgi Epithalumia Johanni Junoni 1588
ejusdem in Pauli Seidelii nuptias
ej. in Erasmum Johannem.
ej. in Jacobum Linssdorffum.

Simonis Renzii Swavitas Vita Conjugalis 1576

Cannina Gratulatoria in Jacobu Schönhausen

Catholycus alteri Episcopoffe in Magdeburg plaudita
Verneinde des Breyhoff in Salboapostol 1579

Johannis Sylvii Egani Sermon van den
Taufa. 1522

Luc. Bachsteperi loci doctrine praecipui ex Ann. 1-4. Rost. 1590.

Liber Joachimij Stedti.

M.
EPITHALAMIVM.

IN HONOREM
NVPTIARVM REVE-
RENDI VIRTUTE ET ERVDL-
TIONE PRAESTANTIS VIRI D. M.
PAVLI SEIDELII docentis fidem & dilectionem
Christianam Ecclesiam Gardelegensem: & castissimæ
virginis MARGARITAE ALBERTAE, quæ cele-
brabantur Gardelegiæ 15. Octobris

Anno 1583. scri-
ptum,

a

M. GERARDO ASSENBURGO,
Scholæ Gardeleg: Rector.



Magdeburgi excudebat Andreas
Gehen. Anno

D: M. LXXXIII.

EPITHALAMIVM RE
VERENDO ET DOCTO VIRO D.
M. PAVLO SEIDELIO ET MARGARI
TAE ALBERTAE.

BVm iubeor toties vt cantem carmina lata
Tristis amicitiam testantia carmina nostram
sisyphium labor iste meus superare laborem
Visus, & insolitis est me comburere flammis
Inconcessa mihi iubet vt qui gaudia promam
Coniugij, nam coniugij qui gaudia cælebs
Nouerit, atq; expers prorsus tam dulcis amoris?
Dulcis amor dulci scribatur carmine fas est,
Ne tamen inuidia ringi videatur amæna
Musa tuos mea concipiat volo sponse pudicos
Lætitiae affectus, stimulet quoq; pectora nostra
Castus amor, rapias tecum me blande Cupido
Regnantisq; tui cum sceptris dona reclude.
Non te pestiferæ Veneris voco nate proterue,
Sed te quæ iungis tu diuinissima flamma
Æternum patrem cum nato, atq; omnia iungis
Quæ cælum, mare, quæ tellus hæc continet, aër
Limpidus atq; vehit, tu nexus es omnibus unus
Infima cum superis stabilis, atq; omnia firmas,
Te peto quem nil clam fuerit, mea lumina mentis
Recludas, cum me stimulabit sensus amoris,
Tu mihi personam signa, tu moribus adde
Illijs hoc decus, vt noscam quæ fædere casto
Sit iungenda mihi, tu des vt corda calecant
Mutua quod sparget flagranti lumine flamma,
Si qua Deum flagrat mage quam nos sancta puella
Ardet si qua sui similem me casta puella,
Signet si qua suis oculis me compta puella.

Mollia

Mollia si cuius moueant meq; ora pueræ,
Ante alias si cui cupiam faueamq; pueræ,
Si quam fæcundam mihi iungent fata pueram,
In mea colla rues gaudens quæ bella pueræ,
Si à qua disiungi nolim nisi morte marita:
Hanc mibi monstrato tu Christi spiritus alme
Dicitoq; hanc vnam fatum tibi destinat vni
Hanc redama, namq; hæc ardet te virgo Gerharde.
Turbine sors vario si nunc agitur tua: Quondam
Leniet hanc famulo rex suavis, & vnu amoris
Autor, nam pressum tantum pia fata leuabunt.
Sis rudis ad mala cuncta licet, mala tintæ venenis
Attamen in caput hoc sua tela calumnia mordax
Sparserat, ut discas quid possit plena dolorum
Lingua & dedicas fallaci credere linguæ.
Causa solum mutes sit si tibi lingua dolosa
Vindice tu vinces Christo fera fulmina linguæ.
Sed sibi quid strepitus vult hic clangorq; tubarum?
Hic sibi concursus quid vult, quo blanda pueræ
Cincta hinc inde alijs sacras pede iam petit ædes
Matronale decus sequitur vestigia sponsæ
Margaris insignis cultu formaq; decora
Margaris at mentis donis hæc pulchrior altæ
In medio incedens gestit tibi iungere sponsæ
Gaudia, tu rapias licita hæc tibi gaudia sponsæ.
O mibi si puro nunc sanguine viua saliret
Vena tibi sposo cantarem carmina digna
His thalamis, & digna viris, & digna nepotum
Ex te natorum cura. Iam cernitur alter
Paruulus ille iocos dare, iam ridere parenti
Cernitur ille mibi, trepidant cui labra tenella
Ex cuius claris elucet imago parentum
Luminibus, si fas, hunc dicito nomine Paulum.
Paule tuos etenim iam nunc miratur ab annis

A ij

Tam

Tam teneris libros, hos ipse euoluere tentat,
Sarcina librorum leuis est huic, totus in illo est
Te facie ipse refert ut patrem, ritè referre
Ingenij & posset præstantis munera patris.
Arripit & calamos & pingit grammata crassa
Donec ea in melius conformet grandior ætas
Et dulces resonare sonos molitur ab ipsis
Iam cunis. Affert tam multa domestica cura
Commoda. Vos matrum quascunq; est nomine Christus
Dignatus, formate pijs quæso ora tenella
Vocibus, atq; aures verbis complete pudicis
Natorum teneras, seu nox inuoluerit alis
Nigra suis, seu multifidus recluserit orbem
Luce sua Phæbus, minimas seu fecerit umbras,
Atq; cibos auido quoties contingitis ore.
Thesaurus non sit vobis preciosior ullus
Quam nati, natis totas impendite vires,
Hos præceptorum vigili committite curæ,
Nulla palæstra Deo fuit hac nam gratiior unquam
Hac sine nugaces nugis traducitis ænum,
Qua semel imbuitis pietate & moribus, hisce
Paruulus, huic olim veniet cum longior ætas
Floreat, domuiq; addet decora ampla paternæ.
Fælices matres quarum de sanguine nati
Sunt studijs culti, multa & virtute coruscant,
In se clarorum conuertent ora virorum.
Fælices natos nimium, quorum ora figurat
Ipsa Catechismo mater, dum pectora complet
Notitia dulci psalmorum, quæq; vouere.
Pignora chara Deo nouit, temploq; dicare.
Magnificum peperit sterilis namq; Anna Prophetam,
Quæ sterilis fructum ventris tibi Christe voulerebat,
Atq; impetratum Samuelem ritè vocabat.
Decalion nostri generis post tergora saxa

Spargens

Spargens tu reparas damnum? tu Pyrrha puellas
Ostendas maribus nudas? vanissime tuq;
Cadme Meduseis serpentum e dentibus orbem
Milite complebis? Græcorum fabula Græcos
Oblectet, mihi fœmina si est experta virum qua
Hæc hominum genitrix fuerit sacra, dulcis & altrix.
Euripides litemq; Ioui quid commouet aequo
Osor coniugij, sus Palladis ipsa magistra?
Namq; virile genus, si vult, ait, omnipotens, hoc
Augescat, poterat pluere hoc in templo Deorum
Ponderibusq; auri nostrum sic vendere cuiq;
Fœmina ne nobis sit mater, fœmina nostris
Garrula sic totis vtq; ædibus exulet omnis.
O mortale genus ne quæso desipe tantum
Ut matrem nolis tibi quam natura Deusq;
Attribuit, pullis crocitantis vox pia matris
Ipsa viam ad nidum monstratq; ad pabula grata.
Nonne vides agnos pendent quod ab ubere matrum.
Inter oves & mille alias vox cognita matris
Allicit ad sese balando pignora blanda
Agniculos, pastosq; ad ouilia commoda ducit.
Tum vaga cornigerum querit quoq; bucula taurum.
Isacidæ ante oculos pueri sanctissima mater
Semper versatur, non hac diuellitur unquam.
E matris sanctas sed leges imbibit ore,
Ligna secans matri flammæ fomenta ministrat
Ut videas fumare focum, pulmentaq; patri
Grandæuo tam grata coqui, benedictio larga
Obsequium nati sanctum quæ penset abunde,
Gaudet qua quoq; nunc Iacob, gaudentq; nepotes,
Quos Iacobe tibi tulerint & posteræ secla.
Talis erat noster quoq; sponsus ouicula matri,
Nam monitis huus fuit hic non asper amicis
Hausit sed facilis maternas auribus ipse

A iij

Voces,

Voces, vox matris sibi facta est regula vitae,
Quæ iubet, ut studijs totum se dedat honestis
Insumat bona cuncta, sibi quo Margaris illa
Obueniat, lati quæ vincit viribus orbis
Thesauros cunctos, cœli quoqu sidera vincit.
Nam generosa nimis, ceu fertur concha marina.
(Mollia dum nobis sua cantica fundit hirundo
Nauita dum Zephyros optat, scinditque carinis
Equora, dum pellit nubes, cœlumque serenat
Veris temperies toti gratissima mundo)
Ipsa sitim patiens diram, sua guttura rore
Fœcundo cœli conspergere, littore totam
Cum sese extendit, rutilantiaque ora dehiscit.
Carnis odor mirus rorem mox concipit, atque
Parturit insignes gemmas, argenteus ipsis
Est color his gemmis, gemmis color aureus est his.
Florida vis gemmæ depellit corde venena
Humanæ, firmat nobis dum languida membra,
Atque salire facit nuper quos lectus habebat
Affixos sibi, qui medicorum pocula bibebant.
Et maiora gerunt quo venti prælia montes
Quo quoque maiores fluctus voluuntur aquarum
Hinc illinc tanto generosior vnio crescit.
Donec hic augescens latet intra viscera Conchæ.
Quin quoque concharum genti non defuit vñquam
Dux bonus. Extiterit nam quo res quæque creata
Nobilior, duce destitui non vult, docet illud
Nectar distendens cellas nos mellificus gress
Strimoniacque grues, stellantis & incola cœli.
Vox Euangeli⁹ nobis est vñio verus,
(Mater ait sponso, fuit huic cum mollior ætas)
Et rex bis genitus fundens se in viscera matris
Instar cœlestis roris, cum labe sine omni
Assumpsit nostros, de semine virginis, artus

Quod

Quoqu magis premiur, tanto hoc audentior ipsa
Insurgit vis vni, & cuncta obstacula rumpit,
Ignis vt expellit fuluo quae est scoria in auro.
Martia luctando virtus in milite crescit.
Hic ros diuinus conspergens tabida corda
Languores pellit cunctos, dum spemque fidemque
In grege Christe tuo fouet, & confessio clara
Et tranquilla queat quantum patientia, mundo
Ostendit, lucet decus hoc per mille pericla.
Irriget hoc suavi Christus quoque pectora nostra
Rore suo, vita fons hic est nobilis unus.
His accensa super dictis nostri pia sponsi
Mens, rapidas verbi diuini in pectore flamas
Concipit, & carae genitricis pectora dicta
Inscribit, iussis gaudens obtemperat aquis.
Atque hoc totus agit, claudatur ut uno mente
Mente sua, inuentus seruetur corde fideli.
Hic corde hic digitis nitet aureus uno Pauli.
Nec tamen hac solus gemma radiante superbis
Sponse fide insignis, sed & optas rore perungit
Rore hoc caelesti, quotquot tibi credidit ipse
Seruator mundi pia pectora, sponsa pudica
Hac ut sistantur Christo, per teque tuamque
Quam tua lingua fidem dedit, est ubi claudere prauis
Atque aperire polum iustis tibi facta potestas.
Tu quoties, quae adamata tibi est, hanc nomine dices
Margaridos, gemmæ fueris memor huius & oro
Gemmæ qua sibi nos despontat Christus Iesus,
Pectora perfundens diuini flaminis aura.
Nam fato duce, tu tibi fiat Margaris vxor
Exoptas, ignis cuius sub pectore gliscit
Paule tibi, ut discas, sint quanta incendia Christi
Erga cognatam massam quibus astuat, utque
Feruore hoc maiore Deo denunciat ipsam

A v

sese

Sese tu studeas , Ecclesia casta , labore.
Hac tua fata sibi cum Paulus cognita haberet
Seruus Christe tuus , totum repleuerat orbem
Voce Euangeli qui quondam : Est inclyta testis
Roma caput mundi (nunc sed Babylonica sedes
Hæc portentosi scorti , quod laude coronæ
Triplicis intumuit , regum quod colla superbum
Calcibus atq; ferit : Cœlum quæ bestia calcat
Horrida , carnificis referens cacodæmonis astus.
Os in sacra Dei ponens & numina Christi
Impurum , violat cum cunctis sacra prophanis ,
Suscipit & deq; ferens , seu Christi membra fatiget
Mille modis Christum Dominum , seu mordeat ipsum
Dente Theonino , verba execranta ructans.
Roma quid est ? Sodoma est scelerumq; nefanda Cloaca
Bismaris & testes sunt mœnia celsa Corinthi.
Vos Galatae testes , Ephesus sacra , vosq; Philippi ,
Theffalonica piæ quoq; iungis verba Colosso
Verba fidem Pauli tantum : Quod tuba cœli
Hæc Euangeli tot mœnia voce bearit.
Nobilis exultat nunc & Germania verbi
Lumine , discussis tenebris , quas Papa tenebras
Plus quam ter Stygias amens inuexerat orbi.
Inclyta nunc demum nobis quoq; Gallia profert
Candida vernantis verbi sua lilia , dira
Nec quicquam rabidi curat tria fulmina Papæ.
Magnanimas reddunt tua sic præconia gentes
Pauli Dei tuba , tu tuba ter clarissima Christi.
Hic Paulus Christi seruus dum lumina torquet
Saxoniæ in fines , contemplans æthere ab alto
Verdenam notat , & prægnanti fausta precatur
Sponse tuæ matri , lætans & talia fatur :
Nascere chare puer , de te namq; optima spes est
Ut discas doceasq; Dei mysteria summi.

Ipse

Ipse scholas moderare pias , vestigia nostra ,
Nomine qui gaudes nostro , te , Christe , secutus
Auspice : Sit fœlix opus hoc duce & auspice Christo .
Vinea quam Christo plantat Gardlegia , sumet
Incrementa sibi magna , hanc te Paule rigante ,
Voce Euangelij , ritem Christumq; docente .
Quam bene palmitibus fuit his , qui sugere succum
Ex Christo discunt , qui nectare dulcior omni est .
Ambrosia est Christus nobis , est Nectar & vnum .
Sit fœlix faustumq; tibi quod nunciat ipse
Sponse (Deo Sponsas qui adducere rite laboras)
De cælo Paulus : Cuius vestigia sectans
Munera tu cantas Christi , quod sanguine solus
Nostra suo à maculis impuris pectora lauit .
Et purgata sibi hæc aurata habitacula fecit .
Tantæ molis erat generi reparare salutem
Amissam nostro : tingantur pallia Christi
Sanguine vel proprio , stillent & membra cruentem
Fas erat , vt nostris mundemur sordibus omnes .
Inducit roseus niueum (mirabile dictu)
Sordidulis membris crux hic namq; ipse nitorem .
Agne Dei multum qui fisso ex pectore fundis
Sanguinis , aspergas nostras hoc sanguine mentes
Abluat & turpes crux hic de pectore sordes ,
Ut cedant maculae , vincant purgata niualem
Candorem membra , & me spiritus alme gubernat
Ne suis in morem confusorem membra nouata
Denuo . Sic orans sponsus pia numina placat
Et sibi cum populo hæc amplissima dona reportat .
Articulos fidei cunctos ubi sic prece pura
Concepit sponsus , monet ut professio sancta
Moribus ornetur sanctis . Nam Christicolarum
Hoc propriū est , Christū ut sapiant , Christumq; loquantur
Et Christum viuant . Hæc vna est gloria vera (tur

A iiiij

Quic

Qua pia gens cunctis præ gentibus vna superbit
Hac Sophiæ ante alios cultores laude triumphat,
Fortiter hac mundi conculcat regna superba.
Æthereæ genti sese huius laudis honore
Insinuare cupit, nec spe frustratur eadem.
Tum vero exagitat quoscunq; insanias, quosq;
Deiūs error agit, dum Christi nomine velant
Impuræ vitæ sua crimina cuncta nefanda
Facta pius doctor pænis castigat acerbis,
Institiæ exemplis, pandens telluris biantis
Rictum, quo absorpsit Dathanum vasta vorago
Et Pblegeton hæas penitus demersit in vndas
Complice cum turba. Tibi vae quicunq; rebellias
Quos tibi constituit, ducibus, Deus, ipse sacerdos
Vindicibus flammis sæuos vlciscitur hostes
Dulcis amygdalinos cui profert scipio fructus.
Namq; fidem flagrantem vna de nocte sequuntur
Tam dulces fructus, tam pingua pascua mentis,
Seditionis opus queis mox dissoluitur omne,
Talibus exemplis sponsus mala facta coeret.
Tum vero Christum redditum in nubibus altis
Nunciat, vt residens crocea super Iride totum
Legibus hic iustis rediuiuum iudicet orbem.
Namq; domus amplæ pater hic cum lumine lustrans
Reddere compellet rationem quemq; suorum
Seruorum, quibus est sacra fors concredita quondam.
Hic repetiturus veniet cum fœnore iusto
Magna talentorum commissa hæc munera, diues
Confueuit veluti mercator, piscibus ipse
A putribus sanos distinguet: Semina magni
Hic precij condet, lolium inq; ardentia mittet
Stagna: Bonus pastor clausurus ouilia fœdis
Hic hædis, ouibus recludet florida Tempe.
Hic faciet sponsus cœli aurea porta patescat

Virgi-

Virginibus clara quibus ardet lampade lychnus,
Lychnus Palladijs oleis imbutus & ardens.
Verum delectu iusto prohibebit ab aula
Cælesti fatuas, non est quibus ignea lampas,
Nec solum Christi redditum prænunciat ipse
Hic sponsus nobis, sed nostra hæc tempora mundi
Ipse probat quod sint hæc ultima tempora mundi
Ergo velut laqueos aueps componere pellax
Pennigeræ genti nouit, quibus implicet istam
Dum iuuat hanc vacuo curis contingere grana
Pectore: Nocturnus veluti sur limina pandit
Et spoliat tacitus vicini scrinia massa
Argenti, postquam tepido requiescere lecto
Hospitiibus placuit, dulci vinciq; sopore.
Irruet & simili ratione hic arbiter orbis
Mixturus tonitru claro cum fulmine nigrum
Et cœlos soluens, ut cuncta elementa liquecant,
Nobilis inq; chaos redeat natura vetustum.
Hæc memorans sponsus prauis sic incutit horrorem
Exanguem & tremulum longæ formidine pœnæ.
Sed quorum assurgit melior sententia menti
Quosq; premit satanas, quo smundus perfidus odit
Indignus quibus est mundus ferus atq; scelustus:
His redditus Christi manifestus dulcior omni
Nectaræ & Ambrosia est omni, te, Paule, docente.
His redditus Christi vita est, est gloria summa.
Solus nam Christus fuit omnibus omnia: iungit
Meq; Deo Solus Iesus, cum seq; morari
Me faciet, possimq; Deo insitus esse, quietus
Atq; frui Domino. Nam tu mihi es vnice portus
Christe tuorum vnus auditio quæso celeuma.
Qui te cumq; Deum nouit, se viuere vitam
Hic sentit veram: tibi cui seruire iubenti
Concessum est, regnat: te te laudare potentem

Ipsæ



Ipsa salus animæ est hæc vñica & vñica vita.
Talia dulciloquus cum nobis carmina promis
Sponse Deo cultum præstas, & pectora mulces
Hæc contrita nimis, fessis & rebus honorem
Instauras, dum das epulis accumbere diuum
Qui fontem vitæ sitiunt, queruntq; perennem.
Inuideant quæcunq; velint tibi sponsa puellæ
Si modo nunc faueat Christus Paulusq; maritus
Dum tibi vita manet, fuerit cum laude superstes
Hunc aluere suis mammillis numina (mirum)
Virgineis, lactant diuino hunc Nectare Musæ.
Huic Charites toties fixerunt oscula blanda.
Spiritus hunc Christi diuino nomine complet
Et cum mente regit pectus linguamq; disertam.
Margarida hanc tibi Paule diu det viuere Christus
Intret & in thalamos iam structos altera nulla.
Paulus adhærescat collo tibi Margaris vñus
Ut nunquam aspires deinceps ad vota secunda.
Gignite filiolos, nam fulcris curua senecta
Indiget his, recreent vos agmina longa nepotum,
Gignite filiolas, nutrite & pignora chara
Quot pater exoptas, matri quot non graue ferre est.




153404

AB 153404




Sh





Farbkarte #13

B.I.G.



11.
EPITHALAMIVM.
**I N H O N O R E M
N V P T I A R V M R E V E-
R E N D I V I R T V T E E T E R V D I-
T I O N E P R A E S T A N T I S V I R I D. M.
P A V L I S E I D E L I I docentis fidem & dilectionem
Christianam Ecclesiam Gardelegiensem: & castissimæ
virginis M A R G A R I T A E A L B E R T A E , quæ cele-
brabantur Gardelegiæ 15. Octobris
Anno 1583. scri-
ptum,**

a
M. G E R A R D O A S S E N B U R G O ,
Scholæ Gardeleg: Rector.



Magdeburgi excudebat Andreas
Gehen. Anno

D: M. LXXXIII.

